

Año XXXIV. VIERNES 6 DE OCTUBRE DE 1893. Núm. 62.

**BOLETIN OFICIAL**  
DEL  
**OBISPADO DE OSMA**

SE PUBLICA EN DIAS INDETERMINADOS, EN MEDIO, UNO O MAS PLIEGOS

**GOBIERNO ECLESIÁSTICO**

SEDE VACANTE

Bendito sea el Señor Dios de Israel, porque se ha dignado visitar á su pueblo..... para librarnos de nuestros enemigos. y de las manos de los que nos aborrecen (Luc. cap. I vers. 68 y 71.)

Aunque el Ilmo. Cabildo de esta Santa Iglesia Catedral envió de su seno una comision, que salió de esta Villa el dia 22 del pasado para Santiago de Compostela, á fin de asistir á la solemne consagracion de nuestro Ilmo. y Rvmo. Prelado, de quien habia recibido una atenta y cariñosa invitacion, nos pareció prudente, de piedad fial, y hasta de buena educacion, interpretando los sentimientos y nobleza del clero y fieles de la Diócesis, y creyendo que en ello no nos extralimitabamos, porque teníamos motivos para creerlo así, el poner al Ilustrísimo Señor Obispo el siguiente telegrama:

Santiago.—Ilmo. Señor D. Victoriano Guisasola Obispo de Osma.—Vicario Capitular en su nombre y de Clero y fieles diócesis felicita Su Ilustrísima por consagracion.

Con esta fecha hemos recibido del Ilmo. y Rvmo. Prelado la siguiente contestacion:

**Santiago, 4'5 tarde.**

Gracias expresivas Usía, clero y fieles por atenta felicitacion bendigoles con mayor afecto.—*Obispo.*

Alabemos y demos gracias á Dios Nuestro Señor por el singular beneficio, que acabamos de recibir, y por que tan misericordioso y propicio se ha manifestado para con nosotros.

Otras diócesis han estado años enteros en una triste y prolongada viudez, y aun esta nuestra lo ha estado en otras ocasiones en tiempos no lejanos. En esta ocasion no ha podido ser más corta la vacante. Dios Nuestro Señor veía la necesidad y ha oido propicio nuestras oraciones. Por hoy no podemos dar más noticias. Procuraremos tener al Clero y fieles de la diócesis al corriente de todo lo que les pueda interesar en este punto.

Entre tanto continuemos pidiendo al Señor para que dé al Ilustrísimo Prelado un feliz y pronto viage á esta su diócesis, para que pronto tambien se encargue del régimen y dirección de nuestras almas.

Burgo de Osma 6 de Setiembre de 1893.

DR. ISIDRO SOTO.

---

**SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI  
LEONIS  
DIVINA PROVIDENTIA  
PAPAE XIII  
EPISTOLA ENCYCLICA**

**AD PATRIARCHAS PRIMATES ARCHEPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM  
ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES**

---

**DE ROSARIO MARIALI**

**VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS  
ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS PACEM ET  
COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS**

**LEO PP. XIII.**

**VENERABILES FRATRES**

*Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Lætitiæ sanctæ, quam Nobis annus quinquagesimus ab episcopali consecratione feliciter plenus adduxit, pergrata nimirum ex eo fuit

accessio, quod omnes, per universitatem catholicarum gentium, non secus ac filios pater, consortes habuerimus, fidei et amoris significacione pulcherrima. In quo nova semper cum gratia agnoscimus et predicamus Dei providentis consilium, et summe in Nosmetipsos benevolum et Ecclesiae suae haud leviter profuturum; neque minus avet animus, eiusdem beneficii optimam apud Deum conciliatricem, Matrem eius augustam, salutare laudibus et efferre. Huius quippe eximia caritas, quam diuturno varioque ætatis spatio sensimus. Ipsi multis modis præsentem, præsentem in dies ante oculos fulget, atque animum suavissime afficiens, fiducia non humana confirmat. Cælestis Reginæ vox ipsa exaudiri videtur, Nos benigne tum erigentis in asperrimis Ecclesiæ temporibus, tum consilii copiâ ad instituta communis salutis proposita adiuvantis, tum etiam admonentis ut pietaatem omnemque virtutis cultum in christiano populo excitemus. Talibus respondere optatis iam pluries antehac iucundum Nobis sanctumque fuit. In fructibus autem qui hortationes Nostras, ipsa auspice, sunt consecuti, dignum est quod commemoremus, per ampla religioni sacratissimi eius *Rosarii* allata esse incrementa; hanc in rem sodalitiis quoque piorum qua auctis qua constitutis, scriptis docte opportuneque in vulgus editis, ipsis elegantiorum artium nobilissimis ornamentiis inductis.—Nunc vero perinde ac si eamdem studiosissimæ Matris excipiamus vocem, qua urgeat, *Clama, ne cesses*, rurus de Mariali Rosario vos alloqui libet, Venerabiles Fratres, appetente octobri; quem mensem esse ei devotum, acceptissimo eiusdem Rosarii ritu, censuimus, tributis sacræ indulgentiæ præmiis. Oratio tamen Nostra non eo proxime spectabit ut addamus, vel laudem preicationi ex se præstantissimæ, vel fidelibus stimulos ad eam sanctiore usu colendam; verum de nonnullis dicemus lectissimis bonis, quæ inde hauriri possunt, temporum et hominum rationi maxime opportunis. Sic enim Nobis persuasissimum est, religionem Rosarii, si tam rite colatur, ut vim insitam virtutemque proferat suam, utilitates, non singulis modo, sed omni etiam reipublicæ esse maximas parturam.

Nemo est quem fugiat, quantum Nos, pro supremi Apostolatus munere, ad civile bonum conferre studuerimus, ac porro parati simus, sic Deus adsit, conferre, Nam, qui imperio potiantur, eos saepe monuimus, ne perferant leges per easque agant, nisi ad normam aequissimam divinæ Mentis; cives autem, qui ceteris, sive ingenio, sive partis meritis, sive nobilitate fortunisque antecellant, crebro adhortati sumus ut, consiliis collatis et viribus, res maximas potissimasque civitatis tueantur et provehant.—Sed vero nimis multa sunt. quibus, ut modo est civilis consociatio, publicæ disciplinæ vincula infirmantur, atque populi a iusta morum honestate persequenda abducantur. Iam Nobis tria præcipue videntur teterima in communis boni perniciem: ea sunt, *modestæ vitæ et actuosæ fastidium; horror patiendi; futurorum, quæ speramus, oblivio.*

Querimur Nos, ipsique fatentur ultro ac dolent qui omnia revo-  
cant ad naturæ lumen et utilitatem, vulnus humanæ societati, idque  
vehemens, ex eo infligi, quod officia virtutesque negliguntur, quæ  
genus vitæ exornant tenue et commune. Hinc enimvero, in domestica  
consuetudine debitam natura obedientiam à liberis detrectari proter-  
ve, omnis impatientibus disciplinæ, nisi si quæ est voluptaria et mo-  
llis. Hinc opifices suis se artibus removere, defugere labores, nec sor-  
te contentos, altiora suspicere, improvidam quamdam expertentes  
æquationem bonorum: similia multorum studia, ut, natali rure  
relicto, urbium rumores capiant effusasque illecebras. Hinc in-  
ter ordines civitatum æquilibritas nulla; nutare omnia, animos si-  
multatibus invidiaque torqueri, ius conculcari palam, eos denique,  
qui spe sint falsi, per seditonem et turbas publicam tentare pacem,  
iisque obsistere quorum est illam tutari.—Contra haec curatio peta-  
tur à Rosario mariali, quod simul certo precum ordine constat et pia  
mysteriorum Chisti Servatoris et Matris commentatione. Nempe *gau-  
diorum mysteria* probe et ad vulg̃is enarrentur, ac, veluti picturæ  
quædam imáginesque virtutum, in oculis hominum constituatur: pers-  
picet quisque, quam ampla inde quamque facilis, ad vitam honeste  
componendam, offeratur documentorum copia, mira animos suavitate  
allicientium.—Obversatur Nazarethana domus, terrestre illud divi-  
numque sanctimoniacæ domicilium. Quantum in ea quotidianaæ consue-  
tudinis exemplar! quæ societatis domesticæ omnino perfecta species!  
Simplicitas ibi morum et candor; animorum perpetua consensio; nulla  
ordinis perturbatio; observantia mutua; amor denique, non ille fuca-  
tus et mendax, sed qui officiorum assiduitate integre vigens, vel ocu-  
los intuentium rapiat. Illic datur quidem studium ea parando quæ  
suppeditent ad victum et cultum; id vero *in sudore vultus*, et ut ab  
eis, qui, parvo contenti, potius agant ut minus egeant, quam ut plus  
habeant. Super haec omnia, summa tranquillitas mentis, par animi  
laetitia; quæ duo recte factorum conscientiam nunquam non comitan-  
tur.—Quarum exempla virtutum, modestiæ nimirum ac demissionis,  
laborum tolerantiæ et in alios benevolentia, diligentiæ tenuum offi-  
ciorum quæ sunt in quotidiana vita, cetera demum exempla, simul  
atque concipientur sensim animis alteque insideant, sensim profecto  
in eis optata consiliorum morumque mutatio eveniet. Tum sua cuique  
munera, nequaquam despecta erunt et molesta, sed grata potius et  
delectabilia: atque, iucunditate quadam aspersa, enixius ad probe  
agendum conscientia officii valebit. Ex eo mores in omnes partes  
mitescerent; domestica convictio in amore et deliciis erit; usus cum  
ceteris plus multo habebit sinceræ observantiæ et caritatis. Quæ  
quidem, ex homine singulari, si late in familias, in civitates, in uni-  
versum quempiam populum traducantur, ut ad hæc instituta moderen-  
tur vitam; quanta inde reipublicæ emolumenta sint obventura, aper-  
tum est.

Alterum, sane funestissimum, in quo deplorando nimii nunquam

simus, eo quia latius in dies deteriusque inficiat animos. illud est, recusare dolorem, adversa et dura acriter propulsare. Pars enim hominum maxima tranquillam animorum libertatem non iam sic habent, ut oportet, tamquam præmium iis propositum qui virtutis fungantur munere, ad pericula ad labores invicti: sed comentitiam quamdam civitatis perfectionem cogitant, in qua, omni ingrata re submota, cumulata sit delectationum huius vitæ complexio. Porro ex tam acri effrenataque beate vivendi libidine proclive est ut ingenia labefactentur; quæ, si non penitus excidunt, at enervantur tamen, ut vitæ malis abiecte cedant miserabiliterque succumbant.—In hoc etiam discri mine, plurimum quidem opis ad spiritus roborandos (tanta exempli auctoritas est) ex mariali Rosario expectari licet; si *dolentia*, quæ vocantur, *mysteria*, vel a primis puerorum ætatulis, ac deinceps assidue, tacita suavique contemplatione versentur. Videmus per ea Christum, *auctorem et consummatorem Fidei nostræ, cœpisse facere et docere*; ut, quæ genus nostrum de laborum dolorumque perpessione docuisset, eorum in ipso exempla peteremus, et ita quidem ut, quæcumque difficiliora perpessu sunt, ea sibi ipse toleranda magna voluntate susceperit. Mæstitia videmus confectum, usque eo ut sanguine totis artibus, veluti sudori, manaret. Videmus vinculis, latronum more, constrictum; iudicium pessimorum subeuntem; diris, contumeliis, falsis criminibus impetum. Videmus flagellis cæsum; spinis coronatum; suffixum cruci; indignum habitum qui diu viveret, dignum qui succlamante turba periret. Ad hæc, Parentis sanctissimæ ægritudinem reputamus, cuius *animam doloris gladius*, non attigit modo, sed *pertransivit*, ut mater dolorum compellaretur et esset.— Virtutis tantæ specimina qui crebra cogitatione, non modo oculis, compleetur, quantum ille profecto calebit animo ad imitandum! Esto ei quidem *maledicta tellus et spinas germinet ac tribulos*, mens ærumnis prematur, morbis urgeatur corpus; nullum erit, sive hominum invidia, sive ira dæmonum, invectum malum, nullus publicæ privatæque calamitatis casus, quæ non ille evincat tolerando. Hinc illud recte, *Facere et pati fortia christianum est*; christianus etenim, quicumque habeatur merito, Christum patientem non subsequi nequam potest. Patientiam autem dicimus, non inanem animi ostentationem ad dolorem obdurescentis, quæ quorundam fuit veterum philosophorum; sed quæ, exemplum ab illo transferens *qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta* (1), ab ipsoque opportuna gratiæ exposcens auxilia, perpeti aspera nihil renuat atque etiam gestiat, per perspectionemque, quantacumque ea fuerit, in lucris ponat. Habuit catholicum nomen, ac sane habet. doctrinæ huius discipulos præclarissimos, complures ubique ex omni ordine viros et feminas, qui per vestigia Christi Domini, iniurias acerbitatesque omnes pro virtute et religione subirent, illud Didymi, re magis quam dicto,

(1) Hebr. XII, 2.

usurpantes: *Eamus et nos, et moriamur cum eo* (1)—Quæ insignis constantiæ facta etiam atque etiam multiplicentur splendide, unde præsidium civitati, Ecclesiæ virtus augescat et gloria!

Tertium malorum caput, cui quærenda est medicina, in hominibus maxime apparet ætatis nostræ. Homines enim superiorum temporum, si quidem terrestria, vel vitiosius, adamabant, fere tamen non penitus aspernabantur cælestia: ipsi ethlicorum prudentiores, hanc nobis vitam hospitium esse, non domum, commorandi diversorium, non habitandi, datum docuerunt. Qui nunc vero sunt homines, etsi christiana lege instituti, fluxa præsentis ævi bona plerique sic consecrantur, ut potiorem patriam in ævi sempiterni beatitate, non memoria solum elabi, sed extictam prorsus ac deletam per summum dedecus velint; frustra commonente Paulo: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (2) Cuius rei explorantibus causas, illud in primis occurrit, quod multis persuasum sit, cogitatione futurorum caritatem dirimi patriæ terrestris reique publicæ prosperitatem convelli: quo nihil profecto odiosius, ineptius nihil. Etenim non ea sperandarum, natura est rerum, quæ mentes hominum sibi sic vindicent, ut eas a cura omnino avertant præsentium bonorum; quando et Christus regnum Dei edixit quærendum, primum id quidem, at non ut cetara præteriremus. Nam usura præsentium rerum, quæque inde honestæ habentur delectationes, si virtutibus vel augendis vel remunerandis adiumento sunt; item si splendor et cultus terrenæ civitatis, ex quo mortalium consociatio magnifice illustratur, splendorem et cultum imitatur civitatis cælestis; nihil est quod rationes participes dedebeat, nihil quod consiliis aduersetur divinis. Auctor est enim naturæ Deus idemque gratiæ; non ut altera alteri officiat atque inter se digradientur, sed ut amico quodam fœdere cœant, ut nempe, utraque duce, immortalem illam beatitatem, ad quam mortales nati simus, faciliore veluti via, aliquando contingamus.—At vero homines voluptarii, sese unice amantes, qui cogitationes suas omnes in res caducas humiliter abiiciunt, ut se tollere altius nequeant, ii, potius quam a bonis quibus fruantur aspectibus æterna appetant, ipsum plane amittunt æternitatis aspectum, ad conditionem prolapsi indignissimam. Neque enim divinum Numen graviore ulla pœna multare hominem possit, quam quum illum blandimenta voluptatum, bonorum sempiternorum immemorem, omni vita consectari permiserit.—A quo tamen periculo ille profecto aberit qui pietate Rosarii usus, quæ in illo proponuntur *a gloria mysteria*, attenta repetet frequente memoria. Mysteria etenim ea sunt, in quibus clarissimum christianis mentibus præfertur lumen ad suspicienda bona, quæ, etsi obtutum oculorum effugiunt, se certa tenemus fide præparasse Deum *diligentibus se*. Docemur inde, mortem non

(1) Ioann. xi, 16.

(2) Hebr. xiii, 1k.

interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed migrationem commutationemque vitæ. Docemur, omnibus in cælum cursum patere; quumque illo Christum cernimus remeantem, reminiscimur felix eius promissum: *Vado parare vobis locum.* Docemur, fore tempus, quum absterget Deus omnem lacrimam ab oculis nostris, et neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra; sed semper cum Domino erimus, similes Dei, quoniam videbimus eum sicuti est; poti torrente voluptatis eius, Sanc-torum cives; in magnæ reginæ et Matris beatissima communione.— Hæc autem considerantem animum inflamari necesse est, atque tum illud iterare Viri sanctissimi: *Quam sordet tellus, dum cælum aspitio!* tum eo uti solatio, quod momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Enim vero una hæc est ratio præsentis temporis cum æterna, terrestris civitatis cum cælesti apte iungendæ; hac uia educuntur fortes animi et excelsi. Qui quidem, si magno numero censeantur, dignitas et amplitudo stabit civitatis; florebunt quæ vera, quæ bona, quæ pulchra sunt, ad normam illam expressa quæ omnis veritatis, bonitatis, pulcritudinis summum est principium et fons perennis.

Iam videant omnes, quod principio posuimus, quarum sit utilitatem fecunda marialis Rosarii virtus, et quam mirifice possit ad temporum sananda mala, ad gravissima civitatis damna prohibenda.— Istam vero virtutem, ut facile cognitu est, illi praecipue uberioriusque percepturi erunt qui cooptati in sacra Rosarii Sodalitia, peculiari et inter se fraterna coniunctione et erga sanctissimam Virginem obsequio præ ceteris commendantur. Haec enim Sodalitia, auctoritate romanorum Pontificum comprobata, ab eisque donata privilegiis et muneribus indulgentiæ, suo palam ordine ac magisterio reguntur, conventus statis habent temporibus, praesidiis optimis instruuntur quibus sancte vigeant et ad commoda etiam societatis humanæ conductant. Hæc sunt veluti agmina et acies, prælia Christe per sacratissima eius mysteria pugnantes, auspice et duce Regina cælesti: quorum illa supplicationibus, ritibus, pompis quam adsit propitia, præclare omni tempore patuit, magnifice ad Echinadas.— Magno igitur studio in talibus Sodalitiis condendis, amplificandis, moderandis par est contendere et eniti, non unos inquimus alumnos Dominici Patris, quamquam illi ex disciplina sua debent summopere, sed quotquot praeterea sunt animarum curatores, in sacris præsertim ædibus ubi illa iam habentur legitime instituta. Atque etiam Nobis maxime in votis est, ut qui sacras expeditiones ad Christi doctrinam, vel inter barbaras gentes invehendam vel apud exultas confirmandam obeunt, hac item in re elaborent.— Ipsi omnibus hortatoribus, minime dubitamus, quin multi e Christifidelibus animo alacres futuri sint, qui tum eidem Sodalitati dent nomen, tum, eximie studeant bona intima, quæ exposuimus, assequi, illa nimirum quibus ratio et quodammodo res Rosarii continetur. Ab exemplo autem Sodaliū maior quædam reverentia et pietas erga ipsum Rosarii cultum ad ceteros manabit fideles: qui

ita excitati, ampliores impendent curas ut, quod Nobis desideratissimum est, eorum est, eorumdem salutarium bonorum copiam abunde participant.

Hæc Nobis igitur prælucet spes, hac ducimur atque in tantis reipublicæ damnis valde recreamur: quæ ut plena succedat, ipsa exorata efficiat Rosarii inventrix et magistra, Dei et hominum Mater, MARIA. Fore autem vestra omnium opera, Venerabiles Fratres, confidimus, ut documenta et vota Nostra ad familiarum prosperitatem, ad pacem populorum et omne bonum eveniant.—Interea divinorum munerum auspicem ac benevolentia Nostræ testem, vobis singulis et clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die VIII septembris anno MDCCCXCIII, pontificatus Nostri sextodecimo.

LEO PP. XIII.

## ANUNCIO.

### COLECCION

DE LA

### LEGISLACION CIVIL Y PENAL

NECESARIA PARA EL DESEMPEÑO DE LA

### CURA PARROQUIAL

ADAPTADA Á LAS ACTUALES CIRCUNSTANCIAS  
DEL SACERDOTE

POR UN PRESBÍTERO

Contiene las materias siguientes: Fuero Eclesiástico. Libros parroquiales. Matrimonio. Matrimonios militares. Cuestiones matrimoniales: Tributos y cargas. Impuesto de Consumos. Arbitrios municipales y provinciales. El párroco y el Maestro. El delito de irreverencia en el templo y fuera en el ejercicio del culto católico. Reparacion de templos. Cementerios. Sepultura eclesiástica. Testamentos tres tratados, y Cargos eclesiásticos.

Con dichos epígrafes se tratan todas las materias relativas de actualidad acompañando sus fomularios en lugar conveniente.

Consta la obra de unas 300 páginas, franco de porte y el precio del ejemplar es de 2.50 pesetas.

Dirigirse para su adquisicion á L. Corominas, Mayor, 12, Lérida, y en todas las librerías de España.

Tip. de Francisco Jiménez.